Carmen Heroicum

AD

REGEM.

In Memoriam

SERENISSIMI

& Potentiſsimi REGIS

IACOBI I.

LONDINI,

¶ Apud IOANNEM BILLIVM

Typographum Regium. 1625.

59-1026

CAMBRIDGE UNIVERSITY LIBRARY

AD REGEM.

NOn me latet, Rex Maxime & Sereniſſime, quàm imprudenter ad hoc opus animum adiecerim; Quippe cum Pater tuus Heros ſummus fuerit omni laude maior, & Maieſtas tua laudem potiùs eligat mereri quàm audire. Quia tamen nullum Principem tam laudare oportet quam quem minimè neceſſe eſt, & Deus ipſe ab hominibus celebrari poſtulat; auſus ſum in hoc argumento quid poſſem experiri, & ſi quid poetici impetus natura aut ſtudium mihi contulit, totum illud nihil ad pedes Regiæ tuæ Maieſtatis profundere. Nolui flebilibus modis hoc argumentum perſequi, imo nec debui: Quamuis enim *Britannia* magnum, ſi vnquam, amiſit Regem;

Tua Maieſtas locum Patris tam feliciter implet, vt nullus non putet Patrem in Filio ſupereſſe. Tum triumphalibus maximi Regis initijs pro ʼευφημία næniam occinere, videbatur intempeſtiuum; addo etiam iniurium in memoriam Regis incomparabilis, ad cuius magnitudinem encomia quàm fletus propius accedunt, & laudes lachrymis tempus præripiunt. Ne deſint lachrymæ in hac Domini mutatione tu ipſe facies, & Patris tui maximi deſiderium tuæ Maieſtatis amore temperatum, lachrymas pumiceis oculis expriment, dubium gaudio an triſtitia. Quocirca non debuit tua laus diſiungi à laudibus Patris, cuius virtutes cum regno excipis, & cuius laudes ſibi vindicat magna tua indoles. Non aberit (confido) à cæterarum virtutum choro clementia, qua boni conſules meos conatus, & preces pro Regia tua incolumitate, regni ſtabilimento, felicitatis incremento.

Tuæ Maieſtati Sereniſsimæ

Deuotiſſimus cliens,

P. MOLINAEVS.

Carmen Heroicum.

DElici æ humani generis, ſuperûmq; voluptas,
Lux patriæ, regno columen, ſolamen amicis,
Quiq; tuos longis vexas terroribus hoſtes;
Ecce tuos ortus ſuſpenſus ſuſpicit orbis,
Quanta pares quaſsis iam iam medicamina rebus
Anxius, O cuius genio ſpes magna bonorum
Nititur, & rerum ſequitur fortuna ſalutem.
Macte nec inuitus nutantem ſuſcipe mundum,
Et tempeſtiuam cauſæ ſuppone columnam,
Ingredere, atque oneri fortis ſuccede paterno.
Eſt tibi qui poſsit vertex geſtare coronam,
Difficile, & vulgi pondus ceruicibus impar,
Sunt humeri ſuffulta quibus Fortuna leuetur,
Tutaq; non metuat regnorum incumbere moles,
Quique Atlanteis ſuſtentent viribus orbem.
Se tibi regnandi fecit Natura magiſtram,

Scilicet imperij puer innutritus habenis
Faſcibus aſſueſti patrioque alludere ſceptro,
Et tremulo facilem luſu verſare coronam.
Nec mirum Regem Regis potuiſſe creari
Sanguine, lallando regni qui ſuxerit artes,
Qui regnum vitæ potuit numerare coæuum,
Ætatiq; pares regnum produxit in annos.
Hic igitur fauſtis terram moderatus habenis,
Vix ſenium tetigit; nunc mundi turbine miſſo,
Vectus ad extremum melioris ad otia regni,
Cœnoſam deſpectat humum, celſuſq; profundum
Sub pedibus volui cœlum miratur & annos,
Subiectumq; tenet regnis aſſuetus Olympum.
Ilia nunc rumpat gemitu, planctuq; canora
Muſa perenne fleat, lachrymiſq; Aganippidos vnda
Tota fluat, niſi pro lachrymis effundere laudes
Malit, & id merito; nam qui poſt funera viuit,
An fleat extinctum? vel cur minus ille Camœnis
Laudandus quàm flendus erit? Laudabimus ergo
Quamlibet aduerſæ luctetur vena Mineruæ,
Et dolor attritas accidat carminis alas.
Materies ſupplebit opus, geniumq; iuuabit,
Et laudem dabit ipſa ſibi: cunabula nempe
Sola queunt tardas ſtimulare ad carmina mentes:
Vndique virtutes addunt in carmina neruos,
Si regnum atque parem repetas ab origine vitam.

Dulce triumphali tumuerunt regia fœtu
Ilia; maieſtas vtero primæua refulſit,
Quæq; tulit partum tulit & Lucina coronam:
In manibus Fortuna ſuis à matre rubentem
Auguſta excepit trabea, cunaſq; curules
Impleuit Dominus, primis balbutijt infans
Vocibus imperium, primumq; iubere ſueuit,
Deinde loqui; curſimq; animis præeuntibus annos,
Dura tener populi flexit feliciter ora;
Et mox ingenij promiſſa maximus arte
Emicuit, pernixque gradus euaſit ad altos,
Natura dubium factuſne peritior vſu.
Ergo Caledonijs commiſſi finibus Angli
Antiquis parcunt odijs, per ſæcula nempe
Plurima, non tantos potuit compeſcere motus
Vllus; at ille pedo cœpit mirabilis vno
Paſcere diuerſas & in vnum cogere gentes.
Non alius nauis dextra meliore Britannæ
Infidis clauum tenuit Palinurus in vndis;
Qui pelagi cœliq; minas, nimboſq; ruentes,
Quid triſtes ferrent Hyades, quid aquoſus Orion
Prænoſſet, tuta claſſem ſtatione locare,
Collectaq; ſinus catus obliquare procella.
Euge gubernaclum ſimili ſubeunte magiſtro,
Bacchantes ventos tempeſtateſq; coruſcas,
Et caligantes nigris ſub nubibus vndas

Formidare

Formidare nefas; pontus licet vſque tumeſcat,
Et coniuratos feriat conterminus axes.
O quoties magno miſceri murmure circum
Omnia, ſecuris proſpexit prouidus heros
Luminibus, partam non turbatura quietem?
O quoties dum flamma minax, dum proximus arſit
Vcalegon, triſtis voluens incendia belli,
Alternumque bibit vicinia tota cruorem,
Anglia ſola ſtetit medios illæſa per ignes!
Ipſe coire iubens concuſſum in fœdera mundum,
Et regum optatus lites coalere ſequeſter,
Non interruptum potuit ſeruare tenorem.
Quale fretis extans incuſſis fluctibus ingens
Dat latus intrepidum cautes, fruſtraque ſonantes
Frangit, at eliſæ ſpumant appulſibus vndæ;
Illa petita Notis antiqua ſede ſuperba
Conſtat, & immotam ſeruat per ſæcla quietem.
O nimium tali felices rege Britannos,
Quos vigil ad placidos adduxit cura ſopores
Principis, & faciem iuſſit neſcire malorum!
Libera ſyncerâ fluxerunt ſæcula pace,
Longa quies fibras egit tellure profundas
Mater opum, populi facilis migrauit in ædes
Plutus, & argento ſtanni fluxere metalla.
Ruſticus ipſe ſenex liras intentus aratro
Ducere, cui felix fuit ignorantia belli,

Tibia

Tibia fortuito quoties male condita cippo
Increpuit raſtris, hæſitą; in caſſide vomer,
Pone boues, ſtiua ſtupuit connixus, anhelos,
Inuerſis grandes glebis ſe tollere coſtas,
Triſtia ciuilis proauorum ſigna duelli.
Et ſimul, O, dixit quantum mutauit ab illis
Tempora funeribus, quem magnæ adiecit Elizæ,
Incumbens noſtro cœli clementia ruri!
Hoc duce, non Celerum per noſtra noualia turmæ
Cædibus inceſtant ſegetes, non vllus aratro
Agricolas diſiungit equos, per vimą; potitus
Barbarus à raſtris transfert ad ephippia miles.
Prælia non operas, non ſomnos claſsica rumpunt,
Nec ſementinis durare ad caſtra diebus
Cogimur, aut gladio marræ diffingere ferrum.
Sed noſtris impune Pales laſciuit in agris,
Paſcua non lupus aut hoſtis vix nota fatigant
Nomina, nempe ſolet ſecuri ſola magiſtri
Incuſtoditas ſeruare fiducia fœtas.
Tum paſsim validis aſſurgit in æthera culmis
Farta Ceres; aruis vertêre ſequacia nuper
Teſqua, nec antiqui meminerunt culta rubeti.
Quid quod fœniſecas iniuſſo gramine prata,
Horrea quod meſſes, quod vincunt vbera mulctras,
Quod modo ſuccreſcit feſtis pax ardua campis,
Atque poli terræ patet indulgentia voto.

Dicite quæ fati torquetis fila Britanni,
Nunquid in innocuos fortuna reuoluitur annos
Gentis? an Aſtræa terras Saturne reuiſis
Coniuge? num ſæcli facies redit aurea ferro?
Hæ populi voces nuper regnante Iacobo,
Securas cumulantis opes, hæc commoda pacis
Libera, nec Domini capitis violata periclo.
Hæc bona periuro non dextra nefaria ferro,
Nec potuit (technas genio retegente Britanno)
Ignibus, Ignati merito cognominis igni
Tollere progenies, Erebo ructata furenti.
Aggreſſa (horreſco facinus væ grande reuoluens)
In capitis, regni corpus confodere fato,
Et populum Domini correptum inuoluere flamma.
Quippe Deus reges vicino culmine cœlo
Comminus aſpectos, cura propiore tuetur;
Odit enim qui ſceptra pater tranſmiſit Olympo
Sacrilegos tingi cognato ſanguine cultros,
Fractaq́ natorum ſolio deſcendere ſceptra.
Nonne vides quanto ſpirans molimine fraudes
Seditio magnas inuaſerit inuida mentes,
Cum quatiens paſſum Furiarum maxima crin[illegible]n
Arſit, & infandum regno bacchata cucurrit.
Quid tamen hinc factum? quod vindice numine, fruſtra
Dentibus infrendens hydros intorſit Erinnys,
Pulſaq́ cum gemitu Stygijs ſe reddidit vndis.

Ille

Ille velut rupes, percuſſaue mœnia vano
Ariete, ab oſcillo qui pondus inutile pendet,
Fortunæ inſanos nunquam inclinauit ad ictus.
Sed cohibens arctis lymphati effræna furoris
Orgia compedibus, regum iuſtiſsimus vnus
Addidit æratos ad Iani limina vectes,
His Mauors, his multifidum Diſcordia monſtrum
Incluſi, aggeſtis iaculis ſuper immugiſcunt,
Horrendumq́; fremit, cæci indignata tenebras
Carceris, & crudos manicis conſtricta lacertos,
In caſſum longos ſpirat Bellona cruores:
Ter voluit clauſtris ferus erupiſſe furentum,
Et totus fruſtra fuit impetus: ille potenti
Adnixus dextrà, congeſtos fulmine montes
Montibus, ille viros potuit ſtrauiſſe pauore,
Atque Gigantæos exufflauiſſe tumultus.
Nec minus Auſonios ignes & fulmina bruta
Et Capitolini contempſit Veiouis iras,
Nec quicquam nocuit naſo ſuſpendere diras,
Et riſu & ſanna vanos explodere bombos.
Quinetiam laudem victoris nomine quærens,
Auſa fuit regi monachorum incurrere mandra,
Aut aliquis Papas & herilis amica culinæ
Iura, caput raſus contra deffendere verna.
Sed ſecura ſuo collucet in orbe Diana,
Obſcœnoſq́; canes fruſtra latrata fatigat:

Rex quoque Romuleo circumlatrante popello
Haud minus intacti duxit pia ſæcula regni,
Quoque magis niſi magna ſe tollere mole, &
Puluercam ſacro ſplendori offundere nubem,
Hoc melius læto fulſit Sol aureus orbe.
O ſi mens non læua foret, quæ regibus ille
Quæ populis documenta dedit, cum murmure vano
Pontificem in magnas iaculari fulmina mentes,
Nec ſi diſploſis olim trux bellua buccis
Magna crepet, ſubito iuſſas incumbere ſtrages;
Sed procerum ſtolido totum debere timori
Si quod habet, ſpretumq; vltro vaneſcere fulmen.
Quid memorem quanta Babylon porrecta ruina,
Immanemque ſolo ingeminans afflicta ſonorem,
Magna triumphalis teſtetur vulnera pennæ!
Qua non Attillico robuſtior armamento
Vlla Quirinales concuſſit machina muros,
Qua vix dum intortà Romanos Panicus error
Corripuit, crocei formidauere Quirites,
Atque Palatinæ rimam duxere columnæ.
Quo me Muſa rapis? quo tu temeraria? neſcis,
Heu neſcis qualem ſulcent tua carbaſa pontum:
Comprime te, velis ventiſque minoribus vſa
Tutius in primo lentabis littore remos;
Ardua ſummarum carpſiſſe cacumina laudum
Sit ſatis ad ſpecimen, quamuis ſi naufragus audax

Auferar

Auferar alta petens, faciat iactura ſuperbum,
Et iuuet in tanto virtutum gurgite mergi.
Funde rediuiuos tellus percuſſa Marones,
Non tamen extiterit qui digno carmine vates
Singula veſtiget, praecedentemque ſequatur
Eminus, & cœli ſublimi ſede locatum,
Sede Dei, quo non mortali lumine quiſquam
Se tulit, aut faciem potuit ſeruare locorum.
Ergo alacres cœlos & ſydera læta recepto
Ciue tenet dudum merito ſincera voluptas;
Quam libet augmento diuini ponderis axis
Ingemat, ecce fauens aſpectu veris amici
Dulcius arridet terris, frontemque ſerenat.
O cœli terræque decus, digniſſima tanti
Herois ſoboles, viuenſque parentis imago,
Ecce tibi fauſtis ſtellati influxibus orbes
Gemmatam expandunt faciem lucemque benignam,
Et tibi candentes feſtinat Phoſphorus ortus.
O ne te nimium cœlum dilexerit, & te
Inuideat terris tanto vix Principe dignis
Rex patriæ, quam tu celeri virtute timendus
Gaudia ſollicito cogis violare pauore;
Namq; videns animum iuuenili in corpore canum,
Iure timet, mores ne ſi ſpectarit adultos,
Æſtimet a ſenibus Numen virtutibus annos,
Maturamque velit cœlo decerpere mentem.

Quippe memor fratris, læto qui mouerat orbem
Omine & in cunis vitiorum oppreſſerat angues.
Cui virtus rerumq́; fuit prudentia pernix,
Et iubaris ſummi radijs exarſit Eous,
Quamuis Occiduos heu tantum oſtenderit ortus.
Quale ſubinde micans morituro lumine fulgur
Obliquo tremulum diuiſit nubila ſulco,
Atque polo tanto breuius quo clarius ardens,
Nocturnas pariter pepulitq́; & reddidit vmbras.
At tu viue diu patriæ ſpes vna ſaluſq́;,
Cui modo cum regnis exempla domeſtica ſoli
Virtutes liquere ſuas, per teq́; ſuperſunt.
Viuito Fortunæ ſimul & Virtutis alumnus,
Auxilium fractis effœti viribus orbis,
Seq́; ſenex ſtupeat per te iuueneſcere mundus.
Quis ſcit quanta pares Hiſpanæ funera genti,
Quanta pares Latio? quantiſq́; Britannica belli
Tollere ſe ſubito meditetur gloria rebus?
Forſitan inuictæ mutabunt nomina claſſes
Rurſus, & vndantem Romano ſanguine Tybrin
Audiet, & Carolo *gaudebit vindice Rhenus.*
O mihi ne mortis triſti reſoluta fatiſcant
Membra gelu, quin te fortes præeunte Britannos
Aſpiciam media vexillum figere Praga,
Atque iterum ſceptro meritam fulgere ſororem;
Mox vbi parta quies, Satanæq́; hoſtiſq́; ruinis

Immoriar

Immoriar lætus, contentaque lumina claudam.
Interea donec naturæ munere fungar,
Iſtis ſuppliciter votis cœlum omne ciebo.
Rex ſuperûm, proprio ſuſpendens pondere terram,
Summe pater, qui regna tenes, qui ſceptra tueris,
Da Carolo *cunctis pietate vt maior & armis,*
Mittat in aduerſos certiſſima fulmina reges,
Sit terra pelagoque potens, populique fidelis
Obſequio decertet amor, per ſæcla quietus
Eſto domi victorque foris, gradibuſque ſuperbis
Vſus, ſuppoſitis poßit ſe tollere ſceptris,
Atque per aggeſtas cœlo ſe inferre coronas.

FINIS.